

f. positiones inrotulationis sufficientem de istis omnibus, quorum causa lectione cursoria generali utendum, notitiam subministrant, vel, quod in iudiciis Luneburgicis, Meclenburgicis etc. maxime laudabili instituto obtinet, index f. registranda exhibitorum decretorumque iudicialium Actis praepositus, relaturus neglecta lectione cursoria generali statim ad ipsam statariam, aut si non omnia in istis relationibus, litteris et protocollis f. positionibus enucleata, saltem ad cursoriam specialem accedere potest.

§. 13. Iudices haud raro Actis litis praesentis apponunt alia inter alios acta, ob quandam horum cum illis connexitatem vel similitudinem, aut ex officio aut ad instantiam alterius vel utriusque partis. Quod ansam dat regulae IV. Reservanda nimirum sunt huiusmodi Acta adposita lectioni statariae, quia hac demum certiores reddimur de usu, in quem sunt adposita, qui ut plurimum paucorum foliorum obtinentur inspectione.

§. 14. Sic absoluta lectione Actorum cursoria vel generali, vel speciali, ad statariam fiat progressus; qua vero eius specie utendum, utrum nimirum generali, an speciali? ex qualitate causae decidendae diiudicare debemus: quatenus nimirum ad solidam eius, quod nunc in diiudicationem venit, cunctorumque cuiusvis partis argumentorum cognitionem integrorum Actorum
lectione